

peragravit, ut Manutius totus nititur, ita LIGORIVS et qui ab eo in his videtur pendere PANVINIVS hic ut alibi Smetianis iis quoque potiti sunt, quae absunt a codice Neapolitano apographo que eius Manutiano, relata apud Waelscappium et in editione (v. n. 5429. 5430. 5450, quorum exemplaria et Ligoriania et Panviniana a Smetio proficisci ipsi naevi hiatusque arguant). Iidem autem in Aquinatibus non solis Smetianis exemplaribus usi sunt, cum duo certe tituli apud Smetium non relati sint in Panvinianis (n. 5403. 5484), plures autem (praeter citatos 5383. 5454. 5495. 5508) in Taurinensibus (non in Neapolitanis Vaticanis) Ligorii libris, ubi alia plura latere dubium non est, quae a Smetianis iam discerni nequeunt (cf. n. 5420). Quapropter duos titulos n. 5454. 5484 a solo Ligorio relatios, per se autem non suspectos loco non movi. — Postea Aquini quoque per plus duo saecula studia haec iacuerunt; per pauca enim epigrammata in transcurso ibi descripserunt Dominicus GIORGI a. 1728 et deinde Vitus GIOVENAZZI, CHAUPY, HOARE. Longe gravissimus autem auctor est Paschalis CAYRO patricius Anagninus et regiis effossionibus praefectus. Eius ad has partes pertinent praeter commentarium exiguum *diss. ist. in cui dimostrasi l'esistenza, antichità e sito della città un tempo Lirio chiamata, quindi Fregelli* (Neapoli 1777. 8. pp. 30) duo libri, alter inscriptus *dissertazione istorica in cui dimostransi li primi popoli d'Italia non che l'esistenza, l'antichità e sito della città un tempo Liria chiamata, quindi Fregelli ed altresì sue notizie storiche* (Neapoli 1795. 4. pp. XLII, quibus absolvitur diss. hist., et pp. 126, quae continent not. hist. Freg.); alter *storia sacra e profana d'Aquino e sua diocesi* (I. I

Neapoli 1808 pp. 396. I. II ib. 1811 pp. 318). Huius libri vidi exemplum manu auctoris scriptum adhuc servatum apud heredes auctoris indeque quaedam emendavi. In illo libro sparsi leguntur tituli agri Fregellani, in hoc ad finem vol. I pp. 360—391 inscriptiones Aquinates CXX collectae cum ex libris editis et schedis ms., praesertim ex sylloge minime sfernenda canonici hebdomadarii Thomae BRANCO Aquinatis, exhibitis etiam ms. Ligorii Neapoli adseratis, tum ex ipsis lapidibus non indiligerent exscriptis. Fraudis in his nullum omnino vestigium deprehendi; immo diligentissime auctor distinxit quid ipse viderit, quid ab amicis habuerit, quid ex quibus libris sumpserit; quo factum est, ut ne Ligorii quidem usus libri utilitatem minuerit. — Post Cayrum Aquinum rursus neglectum iacuit; paucos titulos Pontecurvanos unde Cl. CARDINALIVS in diplomatibus honestae missionis excipserit velim doceri, nisi forte praeter morem hos vere primus edidit. Ipse Aquinum et Pontecorvum nuper (a. 1876) adii, sed non multa iam barbari recentes reliquerunt. Schedae autem quas habui parum profuerunt. Nam FEDERICIANAE (cf. p. 310 c. XII) pauca tantum neque insignia monumenta Aquinata complectuntur, nec multum dederunt quae mihi obtulit Franciscus Xaverius BERGAMASCHI excerpta ex historia quam parat rerum Pontecurvensium (specimen cenni storici della città Pontecorvo-Fregelle edidit Romae 1860. 8. pp. 23). His continentur inscriptiones cum Pontecurvi repartae tum in ruinis Interamnae Lirenatis; sed caute adhibenda esse usus docuit.

**5382** [= 4312] ab altera parte legitur n. 5426. ‘Vicino al fiume Melfi si vede questa bella tavola di marmo’ ORL. ‘Nella chiesa di S. Pietro a Campeo antico territorio di Fregelli, quindi d’Aquino ed ora di Roccasecca in pietra non murata’ CAYRO similiterque MARINI. Eo loco (id est paullo supra Roccaseccam) c. a. 1846 denuo quaesitum esse lapidem nuntiavit HENZENVS neque tamen inventum, quamquam qui ibi degunt locum monstrarent ubi olim stetisset. Id ipsum a. 1876 mihi respondit quem de titulo interrogaram loci syndicus.

CereRI · SACRVM  
d · IVNIVS · IVVENALIS  
trib COH · i · DELMATARVM  
II · VIR · QVINQ · FLAMEN  
5 DIVI · VESPASIANI  
VOVIT · DEDICAVitq VE  
SVA PEC

Orlandi *delle città d'Italia* 2 (Perugia 1772) p. 165, in capite de Aquino, quod Orlando miserunt decuriones Aquinates; Cayro Fregelli p. 86, Aquino p. 360 n. 4, hoc loco addens antea male se edidisse v. 3 quem nunc iterum observatum melius proferret. Idem Cayro misit ministro publico a. 1806 (tabular. publ. Neap. Reg. VII p. 430). Marinus in schedis ait referri item a Ioh. Ant. Cassitto in *Gazzetta di Roma* a. 1802 n. 98 p. 774. Henzen 5599.

En exemplum utrumque:

*Orlandi:*

O · N · PRIS · SEDEM ·  
D · IVNIVS · IVVENALIS  
COMBEL=NATARVM II  
VIR · QVINQV · FLAMEN ·  
5 DIVI · VESPASIANI · VO  
VIT · DEDICAVitq VE · SVA · P

*Cayro Aquino:*

CereRI · SACRVM  
d · IVNIVS · IVVENALIS  
TRIB · COH · DELMATARVM  
II QVINQ · FLAMEN  
DIVI VESPASIANI  
VOVIT · DEDICAVitq VE  
SVA PEC

*In libro de Fregellis 3 dedit:*

agri COMPEL · MATARVM

id est (ut ait) matarum agri Compel-lensis s. Compei, quem in viciniis esse opinatur; mataro significari locum silvestrem.

Titulus et optimis auctoribus et corruptelarum genere et absurdia explicatione satis defenditur ipsaque comparatio cum loco poetae sat. 3, 318 sq. ubi amicus scriptorem alloquitur sic: ‘*quotiens te Roma tuo refici properantem reddet Aquino, me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam converte a Cumis*’ etiam magis eum confirmat, falsarius enim hunc imitaturus longe aliter rem instituisse. Stetisse videtur ad ipsam aedem Cereris Helvinae vel Elvinae potius dedicatam prope Roccaseccam ab Elvio quodam Elviave, cuius gentis non desunt in his partibus lapides (n. 5585). — 1 CERERI latet etiam in ONPRI exempli Orlandiani. — ex SEDEM Orlandi efficeremus AEDEM, nisi SACRVM dedisset Cayro. — 2 D·IV alterius exempli videtur esse ex supplemento quamvis probabili; poetam enim hic intellegi appetet. — 3 TRIB· (in ms. litterae T I B et pars sequentis c punctis scriptae sunt) videtur esse suppletum ad litterarum vestigia, cum quod antea legit Cayro AGRI item contineat elementa RI. Quare retinui neque in PRAEF· mutavi. — Post COH numerus omitti non potuit, cum cohors V Dalmatarum iam in diplomate Vespasiani vol. III p. 852 adsit. Cohors prima Dalmatarum cum saepissime nominetur et facillime exciderit I, praesertim ei qui monstrum illud COMPELMATARVM hic deprehendere sibi videretur, sic ausus sum supplere. — 4 VIR magis videtur Cayro praeterisse quam Orlandii auctor addidisse; quamquam invenitur interdum et d· et II nudum pro D·VIRO et II·VIRO.